



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Forum Competens Quæstionibus ex Universo Jure
selectis, atque ad praxin utilissimis illustratum, Seu
Tractatus Canonico-Civilis**

Friderich, Melchior

Ingolstadium, 1709

§. II. Utrùm in Causis Mixti Fori Judex Ecclesiasticus procedere contra
laicos ad pœnas temporales possit?

[urn:nbn:de:hbz:466:1-61662](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-61662)

duntaxat, sed etiam Imperatoribus aliisque Magistratibus secularibus, tam Ethnicis quam Christianis, fusè & eruditè docet Emman. Gonzalez in C. Praterea 4. de Heretic. à n. 6. ubi n. 9. dissolvit, quæ in contrarium afferri possunt.

§. II.

*Utrum in Causis Mixti Fori Judex Ecclesiasticus
procedere contra laicos ad pœnas temporales
possit.*

771. *Proponitur sententia negantium cum suis fundamentis.*

772. *Statuitur cum communi DD. posse Judicem sacrum etiam ad pœnas temporales procedere. Et probatur ex novo Jure Tridentini.*

773. *Similiter ex antiquo.*

774. *Stabilitur multiplici ratione.*

775. 776. *Respondetur ad fundamenta adversantium.*

771. Cum Causæ modò enarratæ ad Forum tam Sacrum quam Profanum cum jure præventionis pertineant, quæstio nascitur, an Judex Ecclesiasticus quoad illas procedere contra laicos possit non tantùm ad pœnas Ecclesiasticas, sed etiam temporales, seu illas, quas Judex etiam Secularis infligere valet, quales sunt multa pecuniaria, carcer, verberatio, irrogatio infamiæ, exilium &c. Negant Jul. Clarus lib. 5. Sentent. §. fin. q. 37. n. 8. Fernand. Vasq. lib. 3. de Testam. §. 22. à n. 17. Camill. de Curte p. 2. divers. feudal. c. 2. n. 17. Carol. de Grass. de Effect. Cleric. effect. 1. n. 620. aliisque non pauci. Unde ajunt, Episcopos, si incarcerandi sint rei laici, bonis privandi &c. brachium seculare implorare debere. Nituntur gemino fundamento. I. Quòd Episcopus non habeat territorium distinctum & temporalem jurisdictionem, ac proinde familiam armatam tenere non valeat, uti post Panor. in C. Significasti de Offic. & potest. Jud. deleg. n. 10. docuere non pauci, quos refert Marta de Jurisdic. p. 2. c. 29. n. 13. 2. Quòd pœna tem-

E. eee

poralis

poralis in causis mixti fori veniat à Lege, ut observat Bartol. in *L. Placet C. SS. Eccles.*, n. 6. ac consequenter hæc poena, ut ajunt, à Judice tantùm laico imponi possit.

772. Verùm dicendum est, posse Judicem Ecclesiasticum in criminibus mixti fori non tantùm ad censuras & poenas spirituales contra laicos procedere, sed etiam ad temporales, citra mortem tamen & sanguinis effusionem. Ita post Innocent. Anan. Panor. Felin. Marian. Socin. Franc. Gemin. Bald. ac aliorum cõmunissimam tenent Card. Tusch. *V. Immunitas conclus.* 59. n. 17. ubi varia Jura & DD. affert, Navarr. *consil.* 1. *de Foro comp.* Covarr. *Practic.* qq. c. 10. n. 2. v. *Contrarium*, Guazzin. in *Defens. reor. defens.* 1. c. 11. n. 33. & *defens.* 39. c. 1. n. 15. Oldrad. *consil.* 86. & 89. Petr. Cabell. *lib.* 1. *resol. crimin. casu* 194. à n. 10. Mastrill. *decis.* 68. n. 4. Bellet. *Disquis. Cleric. tit. de favore Cleric. real.* S. 5. n. 103. Sperelli *decis.* 3. n. 4. Decian. *Tract. crim. lib.* 4. c. 26. n. 1. Quam sententiam supponit & firmat Trident. Concil. *sess.* 25. c. 3. *de Reformat.* ubi ait: *liceat eis (Episcopis) si expedire videbitur, in causis civilibus, ad forum Ecclesiasticum quomodolibet pertinentibus, contra quoscunque etiam laicos, per multas pecuniarias, per captionem pignorum, personarumque distractionem, per suos proprios aut alienos executores faciendam, sive etiam per privationem beneficiorum, aliisque Juris remedia procedere & causas definire.* Addit postea, in causis quoque criminalibus, uti in civilibus, executionem realem aut personalem faciendam esse. Unde post hanc S. Synodi decisionem de veritate nostræ assertionis dubitari amplius nequit, cum non loquatur solum de causis merè Ecclesiasticis, seu ad Forum Ecclesiæ privativè pertinentibus, sed etiam *de quomodolibet pertinentibus*, ac consequenter etiam de causis mixti fori, in quibus Judex Sacer laicum prævenit, cum etiam istæ ad forum Ecclesiæ pertineant.

773. Sed & Jure antiquo jam pridem statutum id fuerat *Can. Contra idolorum* 10. 26. q. 5. *Can. attendendum* 13. *Can. Si quis contumax* 20. & *Can. Quisquis* 21. 17. q. 4. *C. Pervenit* 2. *de Adul-*

Adulter. C. In Archiepiscopatu 4. de Raptor. quibus Juribus habetur, Episcopum posse laicos capere & corporaliter coërcere, multis pecuniarijs aliisque arbitrarijs poenis subicere. Estque ibi sermo de Sacrilegio, Sortilegio, aliisque criminibus mixti fori.

774. Accedit auctoritatiratio. Constat in primis, in delictis mixti fori præventioni esse locum. Effectus autem præventionis est, ut Judex præveniens præventum excludat, & illo procedente hujus forum sileat, & in Judice procedente tota consolidetur jurisdictio. *C. penult. de Foro comp. L. Si quis postea ff. de Judic. Decian. tom. 1. Tract. Crimin. lib. 4. à n. 1. Guazz. cit. de sens. 1. c. 8. n. 1. Scaccia de Judic. lib. 1. c. 12. n. 57. & 67. Mastrell. decis. 2. o. n. 3. Farin. de Inquisit. q. 7. à n. 52.* aliique per eum congesti. Ergo verum non est, quòd Judex secularis ab Ecclesiastico præventus ad poenas citra sanguinem possit procedere, cum hoc haud dubiè repugnet naturæ præventionis, & frustra diceretur crimen mixti fori, nisi posset ab utroque Judice poenâ temporali puniri, ut observat *Osasc. decis. 103. n. 7.* Ex quo con-surgit altera ratio: nam poenis Ecclesiasticis subijci possunt laici propter illa quoque crimina, quæ privativè pertinent ad forum seculare, cum quivis fidelis ratione peccati sit subjectus jurisdictioni sui Prælati Ecclesiastici & propterea ligari possit, uti notum est. Unde si Judex Ecclesiasticus procedere ad poenas solùm Ecclesiasticas posset ob crimina etiam mixti fori, nullum jam discrimen foret inter ista & alia privativè ad forum seculare pertinentia. Ut igitur aliquid operetur jurisdictio Judicis Ecclesiastici quoad crimina mixti fori & præventionem, absoluta ac integra esse debet, & excludere Judicem Secularem. Accedit 1. quòd Judices Ecclesiastici contra personas Ecclesiasticas procedere possunt ad poenas etiam temporales, uti notorium est, & fatentur Adversarij, idque non alio ex capite, quàm quia sunt competentes ipsarum Judices. Atqui non minùs sunt competentes Judices laicorum quoad crimina mixti fori: ergo etiam contra hos ad dictas poenas procedere possunt. Accedit 2. quòd quoad crimina pri-

vativè ad forum Ecclesiæ pertinentia, uti sunt Hæresis, & Simonia, procedere Judex Sacer contra laicos non minùs, quàm contra Clericos, potest ad dictas poenas temporales, uti rursus concedunt Adversarij: ergo habet ille absolute potestatem infligendi istas poenas. Itaque eas infligere potest etiam ob crimina mixti fori, cum ista, si Judex laicus fuerit præventus, non minùs ad jurisdictionem Judicis sacri pertineant, quàm Hæresis & Simonia.

775. Neque verum est, quod primo loco pro contraria opinione afferebatur, videlicet Episcopum non habere jurisdictionem temporalem. Contrarium præter alios fusè demonstrant Marta p. 2. de *Jurisdic. c. 29.* & Sperelli *cit. decis. 3. à n. 6.* patètque ex Trident. aliisque Juribus paulò antè allatis. Deinde quando ajunt Adversarij, Prælatos Ecclesiæ jurisdictionem temporalem non habere, vel hoc nomine intelligunt jurisdictionem profanam, ita ut sensus sit, illos habere jurisdictionem tantùm spiritualem? vel asserunt, spiritualem jurisdictionem se non extendere ad poenas temporales, illas nimirum, quæ infligi solent à Judicibus laicis & privant bonis tantùm temporalibus (uti sunt libertas & immunitas corporis, honor, & pecuniæ aliæque fortunæ bona) non verò bonis animæ & spiritualibus? Si hoc posterius asserunt, supponunt, quod est in quæstione, imò quod apertè falsum est, cum constet, poenas temporales Clericis delinquentibus & laicis Hæreticis ac Simoniacis infligi auctoritate & potestate spirituali. Si illud prius asserant, videlicet penes Præsules Ecclesiasticos jurisdictionem profanam non esse, verum id quidem est de illis Prælati, qui non habent territorium temporale, quale habent plurimi, præcipuè Episcopi Germaniæ: sed negatur suppositum, quòd ad decidendas causas mixti fori requiratur jurisdictio profana; idcirco enim mixti fori causæ dicuntur, quia pertinent ad forum seu jurisdictionem sacram æquè ac profanam.

776. Labile pariter est alterum ipsorum fundamentum, videlicet poenas in crimina mixti fori statutas venire à Lege Civili: aper-

apertum enim ex Juribus n. 766. relatis ac ex Trident. sess. 25. c. 3. de Reform. Can. Quisquis & Can. Si quis in atrio 27. q. 4. etiam à SS. Canonibus statutas esse. Et licet daretur, statutas non fuisse, non propterea sequeretur, infligi à solo Judice laico posse: quia quemadmodum Judex secularis in delictis mixti fori procedere potest ad poenam, tametsi ea Jure tantum Canonico fuerit imposita, uti tradunt Socin. vol. 4. consil. 219. n. 7. & Decian. tom. 1. Tract. Crimin. lib. 4. c. 25. n. 64. ita pariter in illis delictis Judex Ecclesiasticus procedere potest citra sanguinem ad poenam à Jure Civili statutam: quia forum foro accumulatur & jura juribus juvantur. Panorm. in C. Cum sit de Foro comp. n. 15.

§. III.

Præventio in Causis Mixti Fori quomodo fiat.

SUMMARIUM.

777. Præventio locum habet, quandocunque concurrat Jurisdictione.
 778. Procedit hæc regula de omni Judice & omnibus Causis.
 779. Inducitur Præventio per solam Citationem.
 780. Prævenit, qui citat prior, tametsi solum verbaliter.
 781. Prævenire Ordinarius Judex nequit Delegatum, postquam hic Delegationis rescriptum acceptavit.
 782. Delegatus anteriore rescripto non potest assumere causam, si delegatus rescripto posteriore eam jam cepit.
 783. Ad Præventionem non sufficit sola Accusatio vel Inquisitio etiam specialis, tametsi actis inserta fuerit.

777. Cùm in causis Mixti Fori locum habeat præventio alterutrius Judicis causam prius ad se trahentis, ut dictum est paulò antè n. 747. explicandum restat, qua ratione fiat, & quid operetur. Non ignoro, locum illi esse non solum in causis, quæ proprie